

o tamen praescripto

rum prohibitio optio-
canonici inducta, in-
quoad dignitates, an-
tonicatus. - *Resp.* Ne-
ffirmative ad 2am.

am can. 411, § 3, in
beneficiati et man-
at *tantum* ex statutis
negative; seu post pu-
neficiatos et mansio-
amplius non habere,
tantum ex statutis capi-

n. 1, can. 421: *Qui*
sci publice docent in
gnitis sacram theolo-
, etiam comprehendi
le Ordinarii licentia
liari pro lectione per-
sque tali retributione
perirent edocendum. —
theologia vel ius », in
arcte sit interpretan-
damentalem, theolo-
moralem, et in iure,
necnon textum Co-
vel ampliori ratione
pro facultate vide-
uris canonici, ita ut
tur disciplinae quae
uniuersitatis Semini-
cultatibus edocentur
siastica, archeologia
etc.).

ative ad 1am partem,
negative ad 1am par-

NARI, Sponsor.


GLOTTIS VATICANIS.

ALMA ROMA



QVIDQVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET

C.DEL VECCHIO.



NUMMARIA MENSA ROMANA

(BANCO DI ROMA)

SOCIETAS ANONYMA EX SOLUTA SUMMA LIBELL. 150.000.000

Sedes caput et suprema gubernatio Romae in propriis aedibus
Corso Umberto I, N. 307 (Piazza S. Marcello)

Sedes aliae: In Italia: Alba - Albano Laziale - Anagni - Andria - Anzio - Aquila - Arcidosso - Arezzo - Ascoli Piceno - Assisi - Aversa - Avezzano - Bagni di Lucca - Bagni di Montecatini - Bari - Bastia Umbra - Benevagienna - Bergamo - Bibbiena - Bisceglie - Bologna - Bolzano - Borgo a Mozzano - Bra - Brescia - Cagliari - Caltagirone - Camaiore - Campiglia Marittima - Canale - Canelli - Carate Brianza - Carloforte - Carrù - Casalbuttano - Castelmonte - Castelnovo di Garfagnana - Castiglion Fiorentino - Catania - Cecina - Celano - Centallo - Ceva - Chiusi - Città di Castello - Colle Val d'Elsa - Como - Cornigliano Ligure - Cortona - Cotrone - Cremona - Cuorgnè - Dogliani - Fabriano - Fermo - Fiesole - Figline Val d'Arno - Firenze - Foggia - Foiano della Chiana - Foligno - Forte dei Marmi - Fossano - Frascati - Frosinone - Gallicano - Gallipoli - Genova - Giugliano Camp. - Grosseto - Gubbio - Intra - Ivrea - Lanciano - Lecco - Legnano - Livorno - Lucca - Luserna S. Giovanni - Marciana Marina - Merano - Mercatale - Messina - Milano - Modica - Mondovi - Monteleone Calabro - Montesampietranello - Monte S. Savino - Monte Urano - Montevarchi - Napoli - Nardò - Nocera Inferiore - Norcia - Novi Ligure - Oneglia - Orbetello - Orvieto - Orzinuovi - Pagani - Palermo - Pallanza - Parenzo - Piadena - Pietrasanta - Pinerolo - Piombino - Poggibonsi - Pontecagnano - Pontedera - Popoli - Portoferaio - Porto S. Giorgio - Potenza - Pratola Peligna - Rapallo - Reggio Cal. - Rivarolo Canavese - Rocchetta Ligure - Roma - Rovigno - Salerno - S. Benedetto del Tronto - S. Maria degli Angeli - Sanseverino - Saronno - Savona - Segni (Scalo) - Siena - Siracusa - Squinzano - Tagliacozzo - Terranova Sicula - Tivoli - Torino - Torre Annunziata - Torre dei Passeri - Torre Pellice - Trento - Trieste - Velletri - Viareggio - Viterbo - Volterra.

Apud Italicas colonias: Bengasi - Tripoli.

Apud exteras gentes: Parigi, Lione in Gallia - Barcellona, Tarragona, Montblanch, Borjas Blancas, S. Coloma de Queralt, Wals in Hispania - Lugano, Chiasso in Helvetia - Alessandria, Cairo, Port Said, Mansourah, Tantah, Beni Mazar, Beni Soueff, Bibeh, Dessouk, Fashu, Fayoum, Kafr El Cheikh, Magagha, Mehalla Kebira, Minieh, Mit Gamr, Zagazig in Aegypto - Malta in insula Melita - Aleppo, Beyrouth, Damasco, Tripoli in Syria - Gerusalemme, Caifa, Giaffa in Palaestina - Costantinopoli in Turcarum imperio - Smirne, Scalanova, Sokia in Asia Minore - Rodi in Aegeo mari.

¶ Omnia pertractantur quae propria Mensae Nummariae sunt.

Pro “ALMAE ROMAE,, Sociis

apud Commentarii Administratorem opuscula latine scripta venum dantur,
 pretio quo sequitur:

JOSEPHI FORNARI Communia vitae. Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda. - Fasc. I: *De salutatoriis formulis, De valetudine percontatio, Morbi, Medicamenta.* - Lib. 2,10.

JOSEPHI FORNARI Fridianus et Francisculi prandium, Milesiae fabulae scenis accommodatae apud ephebea facile agendis. - Singulæ lib. 1,50; ambae lib. 2,60.

HERMINII IACOBELLI In campo latinitatis novi flores. - Si tegumento solut. lib. 3; si xyлина structura aureoque titulo, lib. 4.

I. B. FRANCESIA Saturio, Euplius, Ad Romam, Actiones dramaticæ. - Singulæ lib. 1,50.

I. ANTONELLI-COSTAGGINI Arrhae Gorgoniae, Milesia fabula. - Lib. 1,50.

Pretium am
pro Hi
nalis e
ante so
Govern

Kalen

Kalend
cialistae h
mum illuc
cere opera
facinora co
bellum, m
cenarioru
cum de se
necessitud
interim in
abs re ess
tam iterum
nis PP. X
Circa qua
mentis ocu
totius socia
est de hun
de humana
ter de locu
gna, quipp
parata.

Atqui il
primo loco
ditionem h
fieri in civi
id quidem S
tra rerum

s aedibus

Arcidosso - Arezzo -
 Ari - Bastia Umbra -
 no - Bra - Brescia -
 rianza - Carloforte -
 rentino - Catania -
 Como - Cornigliano
 Fermo - Fiesole -
 rni - Fossano - Fras-
 bbia - Intra - Ivrea
 na - Merano - Mer-
 oietrangeli - Monte
 a - Novi Ligure -
 Piadena - Pietra-
 Portoferraio - Porto
 Rocchetta Ligure
 severo - Saronno -
 la - Tivoli - Torino
 Viareggio - Viterbo

ch, Borjas Blancas,
 airo, Port Said, Man-
 Cheikh, Magaghia,
 Aleppo, Beyrouth,
 n Turcarum imperio

iae sunt. ☺

ociis

venum dantur,

ad latina col-

De valetudine

um, Milesiae
 lis. - Singulæ

s. - Si tegu-
 , lib. 4.


tiones drama-

la. - Lib. 1,50.

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium annuae subnotationis est pro Italia libell. 12; pro Anglia shell. 12,50; pro Batavia flor. 7,50; pro Hispania peset. 15; pro Graecia drachm. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro Gallia, Helvetia, Belgica ceterisque universi orbis nationibus franc. 15 ante solendum rectoque tramite mittendum ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, Romam, Via del Governo Vecchio, 96.



Kalendis Maiis adventantibus

Kalendis Maiis adventantibus, dum Socialistae hinc, inde Communistae - pessimum illud Socialismi genus, in quod iniuste operariorum vulgus conantur - nova facinora comparant, eoque magis quod, post bellum, mutatis rursus dominorum et mercenariorum rationibus mutuis, opificibus cum de se confidentia maior, tum inter se necessitudo intercessit coniunctior, atque interim in dies mores fiunt deteriores; non abs re esse putamus, magnam illam chartam iterum iterumque evolvere, quam Leonis PP. XIII sapientia de re constituit. Circa quam vero, duobus tantum locis mentis oculos figere hodie placet, quasi totius socialis quaestionis cardinibus; alter est de humana conditione ferenda, atque de humanae societatis dissimilitudine; alter de locupletum proletariorumque pugna, quippe quae minime a natura comparata.

Atqui illud certo atque stricte Leo XIII primo loco statuebat, ferendam esse conditionem humanam: ima summis paria fieri in civili societate non posse. Agitant id quidem Socialistae; sed omnis est contra rerum naturam vana contentio. Sunt

enim in hominibus maximae plurimaeque natura dissimilitudines; non omnium paria ingenia sunt, non sollertia, non valetudo, non vires: quarum rerum necessarium discrimen sua sponte sequitur fortuna dispar. Idque plane ad usus cum privatorum tum communitatis accommodate; indiget enim varia ad res gerendas facultate diversisque muneribus vita communis; ad quae fungenda munera potissimum impellunt homines differentia rei cuiusque familiaris.

Et ad corporis laborem quod attinet, in ipso « statu innocentiae » non iners omnino erat homo futurus; at vero quod ad animi delectationem tunc libere optavisset voluntas, idem postea in expiatione culpae subire non sine molestiae sensu coëgit necessitas.¹ Similique modo finis acerbatum reliquarum in terris nullus est futurus, quia mala peccati consecaria aspera ad tolerandum sunt, dura, difficultia; eaque hominis ad ultimum vitae comitari est necesse. Itaque pati et perpeti humanum est, et ut homines experiantur ac tentent omnia, istiusmodi incommoda invellere ab humano convictu penitus nulla vi, nulla arte poterunt. Si qui id se profiteantur

¹ « Maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitae tuae » (Gen., III, 17).

posse, si miserae plebi vitam pollicentur omni dolore molestiaque vacantem, et refertam quiete ac perpetuis voluptatibus, nae illi populo imponunt, fraudemque struunt, in mala aliquando erupturam maiora praesentibus.

Quae quam vera sint, in civilis societatis statum animam vertens nemo non videt.

* * *

Sed est quoque in causa capitale hoc malum, opinione fingere alterum ordinem sua sponte infensem alteri, quasi locupletes et proletarios ad digladiandum inter se pertinaci duello natura comparaverit. Quod adeo a ratione abhorret et a veritate, ut, contra, verissimum sit quo modo in corpore diversa inter se membra conveniunt, unde illud exsistit temperamentum habitudinis, quam symmetriam recte dixeris, eodem modo naturam in civitate praecepsisse, ut geminae illae classes congruant inter se concorditer, sibique convenienter ad aequilibritatem respondeant. Omnino altera alterius indiget: non res sine opera, nec sine re potest opera consistere. Concordia gignit pulcritudinem rerum atque ordinem: contra, ex perpetuitate certaminis oriatur necesse est cum agresti immanitate confusio. Quam quidem confusionem eheu! quantum hodie omnes experimur!

* *

Quibus positis, facere non possumus quin adhortationibus, ab ipso Pontifice iam ad christianos opifices factis, sermonem nostrum concludamus. De statu opificum - sic ille inde ab anno MDCCCXCI - certatur in praesens: quae certatio ratione dirimatur an secus, plurimum interest reipublicae in utramque partem. Ratione autem facile dirimetur ab artificibus christianis, si societate coniuncti ac prudentibus auctoribus usi, viam inierint eamdem, quam patres ac maiores singulari cum salute et sua et publica tenuerunt. Etenim quantum-

vis magna in homine vis opinionum praejudicatarum cupiditatumque sit, tamen, nisi sensum honesti prava voluntas obstupescerit, futura est benevolentia civium in eos sponte propensior, quos industrios ac modestos cognoverint; quos aequitatem lucro, religionem officii rebus omnibus constiterit anteponere. Ex quo illud etiam consequetur commodi, quod spes et facultas sanitatis non minima suppeditabitur opificibus iis, qui vel omnino despacta fide christiana, vel alienis a professione moribus vivant. Isti quidem se plerumque intelligent falsa spe simulataque rerum specie deceptos. Sentiunt enim sese apud cupidos dominos valde inhumane tractari, nec fieri sere pluris quam quantum pariant operando lucri: quibus autem sodalitatibus implicati sunt, in iis pro caritate atque amore intestinas discordias exsistere, perculantis atque incredulae paupertatis perpetuas comites. Fracto animo, extenuato corpore, quam valde se multi vellent e servitute tam humili vindicare; nec tamen audent, seu quod hominum pudor, seu metus inopiae prohibeat! Iamvero his omnibus mirum quantum prodesse ad salutem collegia catholicorum possunt, si haesitantes ad sinum suum, expediendis difficultatibus, invitarint, si resipiscentes in fidem tutelamque suam acceperint!

ROMANUS.

DE POËTARUM ELEGACORUM COMPARATIONIBUS¹

Aëri et venti.

Aëri et ventis qui locus in comparationibus tributus sit, iam spectemus.

Aëris, quem sicuti solem omnibus communem esse dixit (*Met.* I, 135), colorem

¹ Cfr. fasc. sup.

semel in similitudinem induxit Ovidius, ut caesium vestis colorem pingeret (*A. Am.* III, 173):

*Aëris ecce color, tum cum sine nubibus aëris,
nec tepidis pluvia concitat austera aquas.*

Idem (*Her.* 6, 169): *Vernaque incertior aura*, et (*Met.* XIII, 807): *Ventis volucrīque fugacior aura*, in ipsa celeritate levitatem respicit.

Non item Callimachus (*Fr.* 135): 'Αλλὰ θεόντων ὡς ἀνέμων οὐδεῖς εἰδεν ἀμαρτοχίας; qui Homeri secutus est (*K.* 437): [*Ἴπποι*] θείειν δ' ἀνέμοισιν ὄμοιοι.

Procellarum furores habes (*E*, 398): Οὐτ' ἀνέμος τόσον γε ποτὶ δρυσὶν ὑψικόμοισιν ἥπνει, ὅστε μάλιστα μέγα βρέμεται χαλεπαίνων. Fortasse etiam Sappho (*Fr.* 42): "Ανέμος κατ' ὅπος δρύσιν ἐμπέσων ε comparatione de sumpta est.

Quod Theocritus habet (8, 57): Δένδρεσι μὲν χειμῶν φοβερὸν κακόν, in latinam linguam Vergilius vertit (*Ecl.* III, 81): *Triste arboribus venti*. Catullus hac imagine usus est (64, 105):

Nam velut in summo quatientem brachia Tauro querum aut conigeram sudanti cortice pinum indomitus turbo contortuus flamme robur eruit - Illa procul radicibus exturbata prona cadit, late, qua est impetus obvia frangens.

Etiam venti in mare furentes sunt in Homeri similitudinibus (*A.* 297): 'Ἐν δ' ἔπειστοις ὑπεραῖτιος ἦτος ἀέλλη, ὡτε καθαλλομένη ιοιδέα πόντον ὥριεν.'

Eratosthenes (*Erig.* 1):

Κυμαίνει δ' οὐα Λίβυσσαν ἀλλα βορρᾶς ἡὲ Νότος, τὰ δὲ καὶ κεκρυμένα φαίνει βυσσόθεν, ἐκ δ' ἀνδρῶν πάντ' ἐτίναξε νόον.

Horatius (C. IV, 4, 42): *Ceu vel Eurus per Siculas equitavit undas*. Ibidem (14, 20): *Indomitas prope qualis Auster exercet undas Pleiadum choro scidente nubes*

Quae apud Homerum leguntur (I, 4): 'Ος δ' ἀνέμοι δύο πόντον ὥριεντον ἵχθυεντα, βορρᾶς καὶ Ζέφυρος, τάτε Θρήκηθεν ἄγτον, ἀλθόντ' ἔξαπιντς· ἀμνὸς δέ τε κῦμα κελαιὸν κορθύεται, πολλὸν δὲ παρέξ ἀλλα φίκος ἔχεναν.'

Ad quam etiam Eratosthenis locus mihi redire videtur, et (*A.*, 765):

'Ος δ' Εύρός τε Νότος τ' ἐριδαίνετον ἀλλήλουν οὔρεος ἐν βύσσῃς βαθέην πελεμιζέμεν ὑλην φηγόν τε μελίν τε τανύφλοιόν τε κράνειαν, αἵτε πρὸς ἀλλήλας ἔβαλον τανύκεας δῖος ἡχῆ θεσπεσίη, πάταγος δέ τε ἀγνυμενάων.

Haec valde, ni fallor, placuerunt Vergilio, quippe qui ter, ut est grandium imaginum amantissimus, ita eas coniunxit, ut undas simul et silvas procellarum vi turbatas exhiberet (*Georg.* III, 196):

Qualis hyperboreis Aquilo cum densus ab oris incubuit Scythiaeque hiemes atque arida differt nubila: tum segetes altae campique natantes lenibus horrescant fabbris summaeque sonorem dant silvae longique urgent ad litora fluctus: ille volat, simul arva fuga simul, aequora verrens.

(*Aen.* II, 416):

Adversi rupto ceu quandam turbine venti configunt Zephyrusque Notusque et latus eois Eurus equis: stridunt silvae saevitque tridenti spumeus atque imo Nereus ciet aequora fundo.

(*Aen.* X, 97):

Ceu flamina prima cum depensa fremunt silvis et caeca volunt murmura, venturos nautis prouidentia ventos.

Praeterea mare a ventis agitatum in comparatione persecutus est (*Aen.* X, 356):

Magnō discordes aethere venti proelia ceu tollunt animis et viribus aequis, non ipsi inter se, non nubila, non mare cedit, aneps pugna diu, stant obnoxia omnia contra.

Quae sunt in Simonidis (*Fr.* 12):

'Ος ὁπόταν χειμέριον κατὰ μῆνα πινύσκη Ζεὺς ἄματα τέσσαρα καὶ δίκα λαθάνεμόν τέ μιν ὥραν καλέοισιν ἐπιχθόνιοι ἱὰν παιδοτρόφον ποικίλας ἀλκυόνος

apud poetas elegiacos non inveni. Austrum sole fessos delectantem habes apud Vergilium (*Ecl.* 5, 81): *Nam neque me tantum venientis sibilus austri nec iuvant.*

Et (*Georg.* IV, 261): *Frigidus ut quondam silvis immurmurat auster.*

(Sequitur).

ALEXANDER AURELI.

AESTHETICAE NOTAE

De reali pulchri existentia.

Pulchrum haud est merum nomen, vel tantum mentis conceptus, neque una sensuum affectio, aut animi propensio; sed est utique «realitas» seu aliquid extans in rebus extra nos manentibus. De qua quidem obiectiva pulchri natura subtili demonstratione minime egemus: quae enim sua sponte menti eluent et communis sensu sunt obvia, nequeunt, nec debent a philosopho probari, sed unice declarari; non quidem ob motivorum rationumque defectum, sed propter claritatis redundantiam.

Quum itaque obiectiva pulchri existentia una sit ex iis veritatibus, quae praesenti evidenter fulgent, tria praestare sufficit, nimirum:

a) rationes «declarativas» proponere assertae pulchri naturae;

b) quorundam philosophorum falsas sententias referre;

c) adversariorum difficultates ostendere quovis vigore destitutas.

Atqui philosophi in re adversarii illi sunt, qui «Subiectivistae» vulgo appellantur, docentque extra facultates subiecti percipientis pulchrum non existere.

* * *

Ratio prima realem pulchri naturam patescens, ex maxima iudiciorum unitate petitur miraque omnium consensione circa multarum rerum pulchritudinem.

Et sane, quamplurima sunt naturae artisque opera, quorum adspectus ita sensus nostros, intellectum animumque fortiter defixos retinent suaviterque demulcent, ut ea non pulchra fateri nequeamus. Eiusmodi sunt ex. gr. aurora rutilans, phoebus sese inclinans in aequor, firmamentum stellis micans, ver ridens, rus floribus

pictum, puerilis candor. Praeterea etiam Iovis, Apollinis, Laoçoontis notissima simulacra; Homeri, Vergilii. Alligherii poëmata; et Parthenon, et Raphaëlis Urbinate tabula de Christi transfiguratione, et Ecclesiae hymnus *Stabat Mater* a Pergolesio musicis notis redditus, aliaque id genus plurima. Hisce rebus si nulla inesset pulchritudo, iam inexplicabilis fieret tam unanimis firmaque hominum sententia; etenim quaelibet affectio mere subiectiva, est semper particularis, inconstans, variabilis.

Ratio altera ex naturali facultatum nostrarum indifferentia oritur, quae, quicquid Subiectivistae dictitant, quotidiana experientia nobis manifestatur. Namque facultates perceptivae ut percipient hoc vel illud ex obiectis propriis, procul dubio ab hoc vel illo obiecto moveri indigent, ad agendum determinari. Idcirco si mens singulari admiratione et iucunditate afficitur, procul dubio a re mirabili et iucunda determinata est. Hoc autem idem est atque asserere pulcrum inesse rebus.

Tertia ratio et ipsa obvia est. Pulchritudinem arcte cohaerere cum unitate, veritate, bono indubium est; sed unitas, veritas, bonum in re vera, hoc est «in realitate», fundantur; ergo et pulchritudo idem «fundamentum ontologicum» habeat opus est.

Praeterea, effectus pulchritudinis, seu delectatio, quam aliquando experimur, rationem sufficientem habet vel in nobis tantum sive necessario, sive libere; vel in obiectis facultates nostras determinantibus. Atqui non in nobis tantum necessario; etenim facultas in se necessario determinata ad unum, semper, indeclinabiliter et uniformiter operaretur; ac proinde delectatio in nobis esset necessaria, constans, uniformis. Hoc autem est contra conscientiam simul et experientiam. Neque tantum in nobis libere; nam facultas omnino libera quando et quomodo vult operatur; ac

proinde delectatio a nobis excitari posset extra quamvis praesentiam operum tum naturae, tum artis. Ex. gr. mihi licet musices vel poësis suavitate oblectari absque ulla actuali vel praehabita sonorum et versuum obiectiva perceptione. Quod est pariter contra conscientiam simul atque experientiam. Ergo delectatio ab obiectis generatur; aliis verbis, pulchrum est aliquid in rebus existens.

Ceterum de obiectiva pulchri natura, Subiectivistis exceptis, nulla est, quum nulla esse possit, apud homines dissensio. Subiectivistas autem, qui putant omnem pulchritudinis rationem a subiecti facultate et arbitrio unice repetendam esse, facile errore convincuntur. Ii autem omnes generali hac argumentatione perstringi possunt: Si ratio pulchri omnino a nostris facultatibus sive inferioribus (sensibus), sive superioribus (intellectu et ratione originem) haberet, maxima absurdia tria sequerentur:

a) nos in errorem necessarium, generale, invincibilem ab ipsa natura duci, quia nostras pulchri sensationes, affectiones, ideas, ... ex naturali, constanti et universalis propensione obiectis externis tribuimus;

b) determinatum aliud ab eo quod indeterminatum est procedere: etenim facultas ex se indeterminata ad hoc vel illud obiectum, ex. gr. ad pulchrum hominem vel ad pulchrum animal percipendum, absque determinatione ad unum potius quam ad aliud determinaretur;

c) facultatem nostram non solum imagines, ideas et affectus efformare, verum etiam externum ornatum, nexum logicum, ipsamque eximiam illam formam, quam animo conceptam habemus, quamque «ideale» vulgo nuncupamus, ex sese componere in contemplatione rei pulchrae posse. Puta: quum quis audire vel legere crederet Vergilii poëma, revera praedictum opus non gustaret, sed crearet. Et

ita, qui nec unum scit pangere versum, poëma gigneret pulcherrimum.

Sed iuvat singulas «subiectivismi» sententias perpendere; quod vero, ne longiores hodie simus, ad alium numerum delegamus.

G. LEPORE.

In honorem et memoriam DANTIS ALLIGHERII¹

II

Postero autem die, sub vesperum, hora condita, amici nostri «nescio qua praeter solitum dulcedine laeti», simul domum convenerunt apud Matthaeum, ut iterum de Allighiero eum tam docte tamque scitissime disserentem audirent.

Omnes interea, una voce, Italorum studium memorant, qui opportunitatem nacti, mirum in modum pluribusque editis voluminibus, et per conventus et cuncta per oppida Florentinum poëtam laudibus ad caelum adferunt, eumque grato animo pro viribus posteritati prorogant, omnesque cingunt viridanti tempora lauro.

Et mirabile dictu, opportune Ioannes animadvertis: - «Universi, et ipsi qui sanctae sunt vatis religioni contumaces, eum in primis sanctius et reverentius de Deo credere praedicant, eumque religiosissimum virum convenienter laudandum esse profitentur».

— Optime quidem haec dicis, — excipit eum gloriose Matthaeus. — Caelum enim vates ingressurus, postquam est tot passus labores, hoc unum praedicare minime dubitavit, se Christianum esse! Ad haec, libero ore hanc voluntatem protulit, si unquam, Dei munere, cives sui laurea poëtica eum honestare voluissent, id fieri de-

¹ Cfr. fasc. sup.

bere in Templo ubi ipse fuit baptimate ablutus. Ego enim (ovans coram omnibus profiteri videtur), poëta christianus sum, sapientia christiana me totum habet, et sola fides illa me aliquando decorabit, quam versibus exornavi:

*Ipse, alia fama, vultuque redibo poëta,
Baptismique mei tempora cingam ad aquas.*¹

Et quomodo ipse se integrum christianum exhibuit, sic semper mente exoptavit, ut omnes sic eum crederent, atque hoc divino consilio carmina conscripsisse, quae Dei afflato instinctus conceperit manuque exaraverit.

Quae cum ita sint, supremus christiani nominis magister, Petrus, ex eius sententia, in primis eum interrogat an recte de Deo credat et integra Christianorum sapientia polleat. Et ipse securus, cunctis vacuis mentis dubiis, haec protulit: Utique est mihi haec fides, eaque perspicuitate ac fortitudine stat, quam venti undique flantes nec labefactare euidem possent. Eam adeo pellucide teneo atque firmiter, ut nullo modo forma eius sit anceps mihi atque ambigua... sic certam claramque ut minime dubitem!²

Neque abs re, quoniam ipse Alligherius id splendide confirmavit dicens: Fidem esse pretiosam illam margaritam, quae omnes virtutes inserit, insertasque conservat.

Atque adeo a fonte suo rivulus emanat, firmissima scilicet illa spes ad quam unice bona hominum voluntas contendit, ut Deum possidere possit.

Hic merito addit Anselmus:

— Ab ista nempe validiore fide, veluti e re sua spes illa procedit, quam mirum

in modum christiani palam profitendam esse reputant...

— Recete iudicasti. Ista admodum res est. Nimurum noster ita sancto Iacobo de spe percunctanti respondit: Quae sit spes optime scio, eamque ita teneo, ut mea quidem sententia, nemo inveniatur, qui me firmius speret; quod optime, si placet, videre poteris in Deo, qui nos omnes lumine suo exhilarat. Et quo liberius sententiam suam portendat, per Beatricem sic praedicat:

*Qui mage sit plenus spe habet haud Ecclesia natum,
In sole est scriptum quo radiamur uti!*¹

Et ne quid ad summam laudem deesse videretur, suavissimis hominibus rem suam manifestat. In hoc omnes interpres facile consentiunt. Antonius Cesari, scriptorum aetatis suae longe nobilissimus, egregiusque antiqui italicici sermonis vindex, est, uti nostis, de Alligherio optime meritus, qui poëmatis pulchritudines effusis studiis ac mira eruditione explanavit, et poëtam ab adversiorum calumniis acerrime vindicans, monumentum amoris, obsequii gloriaeque reliquit. Huius immortalis magistri vestigia secutus, in ultima operis parte versati, haud verbum verbo reddere curabo, sed libera prorsus ratione animum suum referam. Quam doce — scripsit — quam sapienter, quam demum supremae veritati mordicus adhaesit! Insuper Poëta ne a recto caritatis tramite aberret, a sancto Ioanne vult interrogari, qui conceptissimis verbis ab Dante postulat, quoniam amor eius contendat. Qui confidenter respondit: Ad Deum scilicet contendo, quem omnium beatorum gaudium appellabo. — At quanam causa ita diligis Deum?

Et promptus atque alacer reposuit Dantes: Omnes sane simul animorum curae

¹ Con altra voce omai, con altro vello
Ritornerò poeta ed in sul fonte
Del mio battesmo prenderò il cappello.
(Par., 25).

... Si, l'ho sì lucida e sì tonda,
Che nulla del suo conio mi s'inforsa!

convenerunt, tamquam addita currenti calcaria ad amorem excitandum. Iuvabit ipsum audire:

*... Morsus omnes qui volvere possunt
Corda Deo, stimulantque peramare Deum.*¹

Et quaenam ipsa erunt?

Deus creavit caelum ... mundus enim, ipse, et mors quam ut vivam pertulit illa:

*Quodque omnis fidei sperat ut ipse sequax,
Notitia dicta traxere ex aequore amoris
Me pravi, et recti me statuere loco.*

Amor autem erga Deum haud separari potest ab amore erga homines, atque adeo ovanter pergit:

*Divi horti agricolae frondes ego diligo, in illis
De proprio infundit quatenus ipse bono.*

Dantes hanc suam in Deum caritatem atque in homines non modo est coram Apostolis professus, sed coram innumeris beatis, qui undique gratulantes ei obviam fuerant, ac propterea ei omnes arriserunt, eorumque cantus

plansuque volat fremituque secundo...

Quae cum ita se habeant, laudandum esse in primis poëtam reproto qui, divino veluti spiritu afflatus, ad viventium quoque solamen, qui arduis in rebus adhuc versamur, fortiter monet ut intensissima cura fidem reservemus, rerumque novarum cupidis, religionis perniciem molientibus, audacter obstemus, nec instanti quidem periculo exterriti, iura fidei libero ore defendamus. Ab ipso beatitudinis loco vocem profert:

*Ut tacui, insonuit canor atmus in aethere: Sanctus,
Sanctus, ait, Sanctus, foemina dia simul.*

Non ego floribus tumulum tanti viri aspergam, sed spiritum eius Christi odore perfundam. Spargant alii plenis lilia calathis, nobis lilyum est Christus. Hinc reliquias eius sacrabo.

¹ ... Tutti quei morsi

Che posson far lo cor volgere a Dio,
Alla mia caritate son concorsi.
(Par., 26).

Hisce maiori vocis impetu prolati, tacuit Mattheus, longi veluti itineris fessus, et omnes, honoris causa et gratulabundi adsurgunt, atque simul uno ore Alligherii fidem ad caelum tollunt, et oratorem plausu prosequuntur maximo.

Tunc Ioannes subridens, ut qui suus est mos semper, confidenter, ait:

— Eia, bone, laetare, quod nos ad locos laetos et amoena vatis vireta duxisti, sed minime «dulcis aquae saliente sitim restinguere rivo» potuisti... Quinimo maiorem te audiendi voluptatem in pectoribus nostris excitasti. Haud aliter, — si falcem in messem tuam mittere auderem, — Dantes Beatricem advenientem praegustat dicens:

*Sic fixos oculos cupide intentosque tenebam
Annorum decem avens exsatiare sitim.*

Ita nos enixe a te postulamus, ut, primo quoque tempore iterum in dulci argomento insistens, de virtutibus loquaris quas cardinales appellare consuevimus, quasque Dantes canit et optime est prosecutus.


Hunc omnes laeto clamore salutant.

— Vultis? — ait Mattheus, — omnesque eadem volumus; at crastina die, eodemque tempore

Sylvestrem ingrediar, difficilemque viam.

(Ad proximum numerum).

SUBALPINUS.



DANTIS ALLIGHERII INFERI

Carmen III.¹

« Per me, maerentem penetratur Ditis in ur-
[bem,

« Per me, ubi perpetuo torquet in igne dolor;

« Per me, in gentem itur pro laeso Numine
[votam

¹ Ex ineditis JOSEPH TORALDO, quae nobis ultro obtulit Felix Toraldo, Marchio, Iosephi nepos. Nobili item et clavissimo viro amplissimas gratias publice referimus.

« Aeternis flammis, quas foveat ira Dei.
 « Me Themis effinxit, Sapientia, summa Po-
 [testas,
 « Primus Amor fecit, quaeque creata prius
 « Aeternum durant, et ego per saecula manebo.
 « Spes hoc ingressis nulla superstes erit ».
 In summis foribus nigro conscripta colore
 Verba haec conspexi, territus unde duci
 Fatus ego: Est durus mihi, doctor, sensus eo-
 [rum.
 Vir prudens ut erat sic ait ille mihi:
 Nunc animis, vates, opus est, nunc pectore
 [firmo,
 Hic decet omnino pellere corde metum.
 Venimus ad loca ubi gentes maerore gemen-
 [tes
 Cernes, quae mentis deseruere bonum.
 Meque manu capiens comis vultuque sereno
 Duxit in occultas igne flagrante specus.
 Qua gemitus resonant, altique per aëra que-
 [stus,
 Et mea principio fletibus ora rigant.
 Diversus sermo, horrendaeque tenore loque-
 [lae,
 Irarum accentus, verba doloris, atrox
 Raucarum vocum sonus, et percussio crebra
 Palmarum roboant aëre luce nigro,
 Non secus ac turbo violenter spirat arenam.
 Et duci ego dixi territus hisce sonis:
 Quid fragor hic horrens? quae gens sic pressa
 [dolore?
 Qui mihi respondit: Quos ita poena premit
 Hi sine laude, sine et fama vixere pudenda.
 Aligerum haec pravo est gens sociata choro,
 Quae neque fida Deo, neque aperto marte
 [rebellis,
 Sed fertur tantum complacuisse sibi.
 Hos repulit caelum, ne perderet inde deco-
 [rem,
 Ima nec excipiunt tartara, ne paribus
 Torqueri poenis gauderet turba scelestia.
 Atque ego duxori: Quis dolor angit ita
 Ut graviter gemitus imo de pectore ducant?
 Hoc dicam paucis: Omnis adempta necis
 Spes est his animis, tum humilis despectaque
 [vita,

Ut misera alterius sors quoque corda pre-
 [mat.
 Mundus non meminit nomen, Clementia sper-
 [nit,
 Iustitia haud aliter: praetereamus eos.
 Convertens oculos celerem vidi inde cohortem
 Praecipitis cursus, ferret ut aegra moram,
 Innumeramque sequi istius vestigia gentem,
 Quam non crediderim caedere posse necem.
 Vidi illum inter eos potui quos noscere, magna
 A quo ex parvo animo facta repulsa fuit.
 Novi hos de secta, qui ignavis moribus aequae
 Displicuere Deo, hostibus atque suis,
 Quos nunquam vivos nunc nudos corpore
 [muscae
 Et vespae exstimalunt, queis locus ille
 [scatet,
 Sanguine et ora rigant, lacrimis qui mixtus
 [acerbis
 Vermibus illorum lambitur ante pedes.
 Lumina contorquens ad magni fluminis oras
 Conspxei quod ibi copia gentis erat,
 Quam faceret notam ductorem ac ipse rogavi,
 Et quare hanc videam sic celeri ire pede.
 Rursus et ille mihi: Cum tristem Acherontis
 [ad oram
 Nos veniemus, erunt cognita cuncta tibi.
 Ast illi veritus ne essent mea verba molestia,
 Flumen ad usque pudens veni ego, et ore
 [silens,
 Cum rate vectus homo barba alba crineque
 [cano
 Occurrit clamans: Vae mala progenies,
 Vae tibi, ne spes summum descendere cae-
 [lum.
 Huc veni ut veherem litus ad oppositum,
 In iuges tenebras, aeternum in frigus, et ae-
 [stum.
 Et tu qui hic vivus sistis, abito procul
 Ex his, queis letum iam humanos abstulit artus;
 Atque loco ex illo me nec abire videns:
 Diversum per iter, dixit, tu aliam ibis ad
 [oram,
 Convenit ut levior te modo cymba vehat.
 Ne irascare, Charon, dux dixit, sic placitum
 [illi

Qui votum omne replet, tu neque plura
 [petas.
 Hinc siluit stygiae villosus nauta paludis,
 Lumina cui circum sunt rubrae ab igne
 [rotae.
 His duris dictis tenues sine corpore vitae
 Infremuere, suo fugit et ore color,
 Inque Deum patresque suos maledicta iacie-
 [bant,
 Ortum exsecrantur, tempus itemque locum:
 In genus humanum, ac in semen seminis eius
 Noctes atque dies impia verba vomunt.
 Acrius hinc flentes ripam accessere mali-
 [gnam,
 Quae foedatum atro crimine quemque
 [manet.
 Igne Charon ardens oculos nutu aggregat
 [illas,
 Et caedit remo quas videt ire pigras.
 Tempore ut autumni labuntur ab arbore fron-
 [des,
 Atque alia ex alia decidit usta solo,
 Sic mala gens Adae ad nutus vectoris Averni
 In stygiam cymbam singula proiicitur,
 Illecebra ut iacitur protensum in rete volucris,
 Et per livenes nave vehuntur aquas.
 Et prius in litus quam gens descenderet illinc,
 Alterum et hinc etiam protinus agmen adit.
 Fili, duxor ait, qui occumbunt Numinis hostes
 Terrarum huc omnes undique convenient.
 Et prompti quaerunt fluvium transmittere, ut
 [horrors,
 Iusto urgente illos Numine, fiat amor.
 Postquam ea fatus erat nigrae tremuere ca-
 [vernae,
 Ut mea adhuc madeat mens tremefacta
 [metu.
 Terra dolens flavit, rubicunda et luce refusit,
 Quae me confestim sensibus abripuit.
 Et cecidi veluti vir, cui sopor occupat artus.

*Usus facit virtutes, non natura: tuum est autem
 abutendo facere vitia, aut utendo virtutes.*

S. BERNARDUS, de Cons., I. II.

PRO IUNIORIBUS

Ad res gerendas semper tempo-
 rum occasiones exspectare in-
 tuerique oportet.¹

Dum saepe multumque mecum ipse cogito de fortunae diversitate, quae aliis adversam se in eorum actionibus, institutisque exhibet, hanc eius causam invenisse mihi videor, quod ut diversi sunt agendi modi, aliis atque aliis hominibus consueti ac naturales, ita aliae atque aliae sunt temporum rationes occasionesque. Quidam in rebus gerendis administrandisque ferocia quadam utuntur, et omnia cum impetu agunt; quidam e contra lente cauteque progrediuntur. In utroque agendi modo terminus quidam est, quem non possumus transire sine errore; nec possunt homines abstinere, quin mediocritatis limites transgrediantur, sive lente, sive cum impetu agant; ex quo accidit ut omnes errant; sed minores semper erunt errores, fortunataeque magis eorum actiones, quibus se offerunt huiusmodi rationes temporum, quae cum consueto agendi modo congruant. Cunctiones Fabii omnes novimus, qui per loca alta agmen ducebant, modico ab hoste intervallo, ut neque omitteret eum, neque congrederetur castris, nisi quantum usus necessario cogaret. Haec vero progrediendi ratio, etsi videretur virtuti Populi Romani consentea non esse, talia erant tamen illa tempora, ut commodissima ac prosperrima tunc fuerit. Nam quum nuper in Italianum venisset Annibal, vir iuvenis, ferox, et qui secunda fortuna usus, Populum Romanum duplice clade vehementer afflixis-

¹ Ex opere NICOLAI MACCHIAVELLI, cui titulus: *De republica disputationes*, sive *Discursus ex prima de cide T. Livii* (lib. III, cap. IX). Latine vertit H. B.

set, et usque adeo terruisset, ut summa difficultate eorum omnium laboraret, quae ad disciplinam militarem, gerendumque bellum requirebantur; nullus Imperator rei publicae fortunatior contingere potuit, quam is qui cunctatione et lenta cautaque progrediendi ratione hostem sustinere arcere posset. Neque Fabius sua cunctatione ulla commodiori temporum occasione uti potuit, quam illa ipsa; quem tamen naturalis esset in Fabio illa cunctatio, non ex praesenti temporum statu sumpta. Id enim vel eo ipso satis declaravit, quod quem Scipio in Africam postea ad confiendum bellum traicere vellit, Fabius ei vehementer resistebat et omnibus modis impedire conabatur, ut qui natura sua magis ad cunctandum arcendaque praesentia pericula ferretur, quam ad alia maiora subeunda. Itaque per Fabium non stetit, quominus Punicum bellum absolvit finirique non posset, quod is non animadverteret, alia iam tempora esse, et aliam belli gerendi rationem commodam existere. Quod si solus rerum potitus fuisset, victoriam de Carthaginiensibus obtainere nequivisset, quod belli gerendi rationes temporum diversitatē nescivisset accommodare. Sed quem in re publica tot essent insignes Imperatores ac rei militaris peritissimi homines, voluit fortuna, ut sicut difficilibus illis temporibus Fabius bellum sustinere ac pericula arcere, ita postea commodiori rerum statu, Scipio id confidere, et victoriam obtainere potuerit. Hinc igitur dependet ratio quod Aristocratiae ac liberae Civitates diurniores esse soleant, quam quae unius principis imperio gubernantur. Habent enim illae multiplicia ingenia, quae temporum occasionibus melius accommodari possunt: Princeps vero quem natura sua ad certum quendam agendi modum fertur, mutare nescit, quamvis temporum diversitates id maxime requirant. Petrus Soderinus natura humana erat et patientia sua multas iniu-

rias ferebat; quae res salutaris fuit rei publicae simul atque ipsi, quamdiu tempora clementiora fuere. Sed quem, temporum mutatione, ferrea quaedam aetas adesset, quae severitatem postulabat, atque ille a consueta sua patientia et bonitate discedere nesciret, semetipsum simul atque patriam perdidit. Iulius II Pontifex Maximus, toto Pontificatus sui tempore, cum impetu ac furore quodam rem publicam ceterasque actiones administravit, eaque res illi feliciter successit, quia talia erant illa tempora, quae huiusmodi administrationem postulabant; quod si tempora mutata fuissent et alia consilia postulasent, nescivisset ille se iis accommodare; itaque necesse illi fuisset succumbere.

Non solemus autem naturales inclinations longasque consuetudines facile mutare: primum enim quo natura ipsa dicimur, id relinquere non possumus; deinde quem certo aliquo agendi modo diu feliciter rem gesserimus, non possumus nobis persuadere, ut ab illo discedamus; atque hinc pendet varietas in uno eodemque homine, quod nesciat cum temporum mutationibus mores suos ac vitae consuetudines immutare. Ex eodem quoque principio pendent rerum publicarum interitus. Nam cum temporum mutationibus immutari leges oportet: quod si non fiat, multis malis occasio praebetur. Tardius autem istae legum mutationes in re publica evenire postularique solent, quod in ea omnia lento modo mutantur. Nam non nisi longo tempore tantopere immutari potest rei publicae status, ut aliis legibus opus sit: diversis autem progrediendi modis uti persaepe oportet, quod in bellis fortuna facile persaepe mutetur.

.....

Diu considera, quid loquendum est, et adhuc tacens provide, ne quid dixisse poeniteat.

TERTULLIANUS.

DE ALAUDA PER AËREM CANENTE

Quum, ineunte saeculo elapsō, Montgolfierius, incredibili ausu, plaudentibus patribus, sidera petiisset per followem servis mire confectum spiritusque vi inflatum, mirum, quam mortales eius exem plum secuti, audacius in dies nova rerum molimina tentaverunt. Et memoria nostra, homines per aërem eadem prorsus facilitate volitant, atque viam pedibus carpunt; et curiosiora in dies periclitati sunt.

Quid memorem de inventis quae circa hanc rem ad artem militiae potissimum pertinent? Ne diutius in hac re permaneam et lectoribus meis humanissimis taedium referam, animi potius causa, dicam quod abhinc paucos annos ephemerides mirum in modum in vulgus ediderunt.

Anno MCXMI, mense Septembri, tres milites aeronautae Batavorum exercitus, nova caelorum spatia peragrantes, leni quodam vento acti, ad superiorem Palatinum per followem adpulerunt. Magnum circa longeque silentium, et taciti res altius inferiusque curiosius perlustrant. In magna illa rerum quiete, dum omnia diligenter investigant, nescio quid nigri indistincte oculis perspiciunt quod gravem in animis curiositatem ingessit.

- Quid est? aiunt. Estne fortasse charulta salutationis, quam nos ipsi per caeum immisimus, ut nostrae viae signum aliquod mortalibus daremus?

Dum talia secum cogitant, nigrum illud signum eos aequato cursu persequitur, eorum animos etiam atque etiam tangit. In illa enim caelorum altitudine, erant autem ad metra bis mille - vel minima qualiscumque res mirum in modum animos pertentat studiumque excitat.

Quum proprius accedunt unoque obtutu rem clarius perspicere nituntur, alaudam cognoscunt, quae, dulcedine vocis suae abrēpta, inscia ad eam altitudinem pervenerat.

Quam apte Dantes noster de mitissimo alite cecinit:

Parva uti alauda canit spatiata per aëra, dulci Contenta extrema voce deinde silet!

Quae, nec hominum volantium praesentia stupefacta, nec magno machinarum strepitu deterrita, eos tutissime secuta, cantum suum adsuetum minime desivit.

Milites vero, rem tam novam admirati et tamquam scientiae utilem reputantes, ubi primum terras iterum appulerunt, huiusmodi monstrum doctis rerum naturalium investigatoribus referendum esse optime censuerunt.¹

Constat enim apud omnes, lepidum hunc alitem, qui suavitate cantus maxime laudatur, volatu saepe ab hominum consortio se se subtrahere consuevit, ut ita viventium veluti rumore pavida, sibi met unice canendo recreari videatur. Et Carolus Linnaeus, clarissimus ille vir, qui penitio naturae studio clarus olim eniuit, haec perbelle ad rem scribere non dubitavit:

« Alauda, volatu perpendiculari in aëre suspensa cantillans in Creatoris laudem: Ecce suum tirile, tirile, suum tirile tractat ».²

I. B. F.

¹ Koln. Volkstg., 1912, n. 829.

² LINN., Histor. Natur.

COMMUNIA VITAE

De officiis¹

- Adversarium habeo crudelissimum, qui nullam in me iniuriam praetermittit (qui quidquid virium habet, contra me confert; qui omnia in me conatur; qui nihil non agit, non movet, non tentat, non mol-

¹ Cfr. fasc. sup.

tur, non machinatur ad meam perniciem). - Adversario utor insensissimo (qui irruit in me impetu quam potest maximo; qui totus ad meam perniciem incumbit). - Adversarius acerrimus me vexat (iactat; op-pugnat; agitat; urget; insectatur; exagi-tat; persequitur; iniuria lacerat).

Titius adversarius mihi est (mihi adver-satur; perniciem molitur; exitium machina-tur; contra me perfide agit). Titius totus ex fraude constans (totus ex malitia concretus; ex fallaciis conflatus) inique mihi instat; defende me ab illo.

Malevolorum vim a me arce. - Me ab inimicorum insidiis eripias (vindices; tute-ris). - Adversarium illum, quem habeo gra-vem et infestum, vehementissime, quam potes, propulsa. - Me contra illum protegas (praesidio tegas). - Meum patrocinium (meam propugnationem; defensionem) su-scipias. - Me tuendum defendendumque suscipias. - A me (pro me) contra illum stes. - Cum me sis contra illum. - Tua studia ad me tuendum conferas. - Adversus nocentem innocentia faveas (adsis; studeas; tuam operam impendas). - Innocentem me foveas (tuo studio tegas). - Pro innocentem me facias.

- Quin etiam pugnacissime (pro virili parte) te defendam. - Te ad extremum usque sustineam - Nihil non agam ut te tuear. - Pro viribus obnitar (pro virili ob-sistam) ut te defendam. - Rei tuae imminebo.

Quae mihi dixisti, animo tractabo (pon-derabo; perpendam). - Mente (animo) in tuo discrimine (in tuum discrimen) insistam. - Causam tuam attentius considerabo (accu-ratius meditabor; intento animo intuebor; studiose cogitabo); deinde animi sensa (sen-sus) verbis tibi explicabo (declarabo; ex-primam; eloquar; exsequar; proferam, enunciabo; exponam; expromam; ape-riam). - Quiesce tu; hoc ego videbo (vi-dero).

Ut ego quidem opinor (arbitror; sen-tio; ut mea opinio est; ut mea fert opinio-

id tibi faciendum est, ut... - Quantum qui-dem a seque iudicio possum (nisi iudicio fallor; meo quidem iudicio; mea quidem opinione; quomodo ego quidem existimo) tu debes... - Rem sic se habere puto (arbi-tror; opinor; existimo; autumo; censeo; iudico; sentio; reor).

Quantum ego mea opinione (sententia) augor, res a te auctae (exauctae, amplifi-catae) sunt. - Habes mentem errore imbu-tam (erroribus implicatam) circa illum hominem. - De illo homine, quem adver-sarium incusas, allucinaris (errore prola-beris; duceris).

Haec una ratio mihi videtur suppe-tare iustae defensionis scutum, ut... - Haec una tibi restat propulsandi opportuna ratio, ut te extra quamlibet culpam ponas.

Mihi causa tua videtur nulla ratione defendi (evinci) posse (nulla probabilitate sustineri, fulciri posse). - Nemo hanc tuam causam ulla ratione tuebitur. - Nemo sa-piens rationes tuas asseverabit.

. Si me audies (si meo uteoris consilio; si mihi obtemperabis) hoc in re tua facies. - Si mihi morem geris (obsequeris), optimam hanc inibis rationem. - Nihil a ratione alienum in hac tua re admittes (facies; non offendes; non cades) si....

- Lis ordinariae cognitionis (discep-tationis) mihi est, cum... - Controversiam formulae communis (iudicii et moris com-munis habeo) cum... - Causa recuperatorii usus et iudicij (Lis recuperatoriae formulae ac disceptionis) agitatur inter me et...

Causa capitatis (lis capitalis; noxae capi-talis causa) in me promovetur. - In cau-sam extraordinariam (extra ordinem) sum adductus; volo te peritum iuris consulere (interrogare, percunctari). - In causa quae pro me agitatur peritorum consulta fla-gito (peritorum responsa peto); tuum ita-que requiro.

Causam meam ad te patronum defero. - Causam meam dicas (agas; defendes; tue-aris, patrocineris). - Apud iudices pro me

dicas (litis defensionem exsequaris). - Te meum patronum praebreas (defensorem praestes; tutorem exhibeas).

- Causa egregie ab iure instructa est (ab iuris auxiliis munita; ab iuris praesi-diis parata); itaque facile eam obtinebi-mus (tenebimus; vincemus; iudicio conse-quemur; auferemus iudicum sententias). - In causae iudicio victores abibimus. - Ex litis iudicio superiores discedemus.

Causa anceps (dubia; incerta; perplexa; dubii iuris; ancipitis admodum iuris; ae-qui-tatis parum exploratae) apparent: cavillan-dum itaque in ea est (captionibus lis est exer-cenda; actionum formularumque argutiis implicanda). - Captionum pedicis in hoc iudicio est morandum, serendaque sunt lites ex litibus. - De nihilo (pro re nihili) certandum (contendendum) in tua causa est. - De re vel levissima hic oportet alter-ari (morosum se gerere in re nihili).

Causam tuam tractabo, sed ea cadet (eam amitteremus; item perdemus). - In causa concidemus. - Causae (litis) iactu-ram faciemus (patiemur). - Damnatus e iudicio abibis (dimitteris; discedes).

(Ad proximum numerum).

FORFEX.

ANNALES

Londinensis conventus.

De conventu, qui Londini inter victo-rum populorum legatos et Germanicos, Turcas Graecosque habebatur, in su-pe-riore recensione nostra scripsimus; ad-denda hodie sunt quae deinde acciderunt. Germanici scilicet legati contra impositas sibi rationes, quibus damna ex bello parta reficerent, petierunt, ut obstacula imprimis Germanico commercio obiecta auferren-tur, utque oeconomica libertas ipsi resti-

tuere tur oeconomicorumque iurium ex-aequatio; secus impossibile Germanis fore iussa vectigalia solvere; quinimo eiusdem solutionis modum ac tempus esse immutandum. Obsttit vehementer adversa pars, negavitque se ad haec proposita accessu-ram; actio inde omnis sublata est, ven-tumque ad sanctiones a Versaliensi foedare in Germanos provisa, hoc est ad occupationem manu militari urbium Dus-seldorf, Duisburg, Ruhrort.

Suorum administratorum agendi ratio-nem ratam habuit publicus Germanorum coetus legibus ferendis, qui non sine animi expletione paucos post dies vidi populi scitum in superiore Silesia Germaniae civitati favens maxime: duo enim et vi-ginti pagi - (« districtus » vocant) - unioni cum Germania suffragati sunt. Reliqui duo Poloniae accesserunt; qui vero maio-ris momenti apparent: ibi enim maxima regionis industria, maximumque com-mercium.

* *

Graecorum bellum cum Turcis.

Londinensi conventu interrupto, discri-men quoque Turcas inter et Graecos inso-lutum perstitit; neque mora facta est, quin res in cruentum bellum verteretur. Pu-gnant itaque, dum scribimus, iam Graeci in Anatolia contra Kemal principis Tur-carum factionem, neque, ut videtur, felici exitu. Sic dum omnes pacem exposcunt, sanguis novus effunditur!

* *

Russorum bellum civile.

Neque illic solum; in Russia enim ci-vile bellum furiose ardet. Petropoli ex urbe incendiis favilla orta est tamquam repulsus in Bolscevicarum facinora, eaque ad Moscam urbem manavit, cuius magnam partem dicunt in rebellium manus ceci-

disse. Bolscevicae ex adverso affirmant victoriam ubique contra istos sese reportasse, et contra Georgianam rempublicam, in quam ipsi vim ultro intulerunt. Id unum certum, miseram infeliciis Russici populi laniationem exerceri.

* *

Hungarici regni tentata restitutio.

Die xxvii superioris mensis Martii necopinatum nuntium per orbem diffunditur: Carolum I, Austrorum quondam Imperatorem Hungarorumque regem, ex improviso in Hungaria apparuisse ovan-tissime exceptum, solium iterum consensurum; populare gubernium sese a munere abdicasse; restitutumque regem Budapestinum, urbem caput, magnis itineribus cum exercitu procedere. Inde ceterarum nationum subitae protestationes et minae, quae Carolum profecto inducent ad proposita sua dimittenda et ad redditum in Helveticum exilium suum.

* *

Funera.

Die ii eiusdem Martii mensis Nicaeae ad Varum supremum diem obibat Nicolaus Petrovic, Montis-nigri rex. Niegosc in oppido natus die xxv mensis Septembris MDCCXL, patruo in principatu successit die XIII mensis Augusti MDCCCLX. Tria bella contra Turcas pugnavit, qui buscum civitas sua tributo vinciebatur, eique tandem redemptae propria dedit instituta et leges an. MDCCCCVI. In regium honorem elatus an. MCMXIII, quum Europaeum supremum bellum exarsit, primus, et forlasse imprudenter, proelio in Austriacos incessit, qui vicissim eius regnum ferro et igni invasere atque vastarunt. Itaque is in Galliam profugit, ubi tamen vitam patriae suaee sustinere atque defendere indomito animo, quamquam in-

cassum, non cessavit. Eam enim, uti notum est, Jugoslavonii armis nunc occupant. — Matriti d. viii ipsius mensis Dato, Hispanici gubernii praeses, manuballistae ictibus a scelestia hominum manu proditorie est interemptus.

Kalendis Aprilis MCMXXI.

POPLOCOLA.

VACUI TEMPORIS HORA

Quae de Lauretani sacelli incendio in superiore numero attigi, exquisitum epigramma mihi procurarunt, a clarissimo socio nostro Ioanne Fratini, Lauretano Archidiacono itemque antistite Pontificiae domus, Dominicæ Resurrectionis die conscriptum; cui quidem hodie primas libenter cedo. Est itaque uti sequitur:

*Postquam Deiparae periit Sanctissima Imago,
Gloria Laureti, praesidum atque salutis.*

*Gaudet Virgo Parens, Nati laetare triumpho, —
Christus dum surgit, vox tremefacta canit;
Ipsaque Matre carens, quamvis nil tacta per ignem,
Ingenit heu moerens Nazarethana Domus!
Quis poterit nostrum infandum relevare dolorem?
Hand hominum est miseric reddere laetitiam.
Irati tamquam percussis Numinis ictu
Sonus, Christe, vales ferre salutis opem! ...*

* *

Socius alter, A. Fulconis, arrepta occasione a quinta centenaria die hoc anno recurrente a quo Versaliense famosum illud **malum aureum sive medicum**, consitum est, huius fructus, et qui ei proxime sunt, descriptionem ad me misit, quam ex vita Iosephi Anchietae (lib. 3) a P. Berettario exarata deprompsit. Et humanissimo illi viro morem igitur geramus.

« Inter peregrina poma — sic auctor — quae ex alienis terris superiora saecula in Italiam primum, indeque in occiduas oras

asportarunt, omnium nobilissima ac praestantissima sunt, quibus ab acore in Italia est nomen. Eorum tria genera praecipue familiam ducunt: mala medica, limonia et citrea. Medica, quorum est maxima copia et usus frequentissimus, aurei coloris sunt, magnitudine et forma malis cotoneis similia: *aurancia* in Hetruria nominantur, et hoc nomen, omnium maxime nobilitum, ut festivo etiam colori nomen accaserit. Cortex ab interiore pomo facile avelitur, qui ex melle decoctus grati admodum saporis est, alias inutilis; carne admodum tenui, et gratissimi succi alias acidi, alias dulcis, uvae instar gravida. Citreis ac limoniis color idem flavus vergens ad albedinem. Sed limonia ovali forma: cortice carneque non multum ab auranciis dissimilia; sed cortex non avellicantur. Longe etiam nobiliore sapore odoreque citrea forma multo maiore rotundioreque: cortex extimus iis, non ut limoniis aequus et levis, sed aliquanto callosior et tuberculosis, quasi verrucis, nonnihil inaequalis: verum ut limoniis corpus una cum cortice grato admodum sapore totum edule. Auranciorum limoniorumque magna copia; citrea rariora, nec ubique aequo proveniunt. His odor non modo ab auranciis et limoniis dissimilis, sed etiam ita gratus ac nobilis, ut ea tantum causa integra serventur, ut cubicula grato odore redoleant. Intus a cognitorum natura dissimilia, peponibus similiora: caro etiam peponum carne solidior: ab extimo cortice ad intimum sibi similis, nullo putamine. Et ut pepones angustum continendo semini in media alvo sinum aperiunt, ita citrea succum omnium pretiosissimum cum semine concipiunt aluntque; qui conditus ex saccaro antidotum est adversus pestilentes morbos efficacissimum ».

Haec Berettarius, quem tamen nescio quantum medica scientia polleret, ut de antidoto hoc tam firmam asseverationem offerre posset.

* *

Bernerii carmen, quod hodie delegi, est de ludo, qui usque ad nostros dies pueros, nec pueros unos, delectat. Credo ipsum, qui apud nostrates **Felis orbae ludus** (vulgo *La gatta cieca*) appellatur, et longe a nobis pariter vigere; ceterum tanta perspicuitate ac tam belle pingitur, ut nulla explanatione indigeat.

Audiamus ideo Bernerium nostrum:

Musa iocosa canens pueriles dicere ludos
Expetit, atque horum connumerare vices.
Praecipua hunc, inter reliquos, mihi cura ca-[n]endi est,
Cum celeber fuerit semper in Urbe iocus.
Felis caeca dedit ludo memorabile nomen;
Hunc exercendi, traditur iste modus.
Sorte prius statuunt pueri, qui lumina claudat;
Scilicet exposuit lumina clausa iocus.
Linteolis oculi puero prius ergo teguntur,
Cui primum sortis puncta dedere locum.
Tunc illum e sociis alter circum undique vertit,
Ut speciem perdat motibus hisce loci.
En pede non tuto titubans puer ille movet
Incertus, casum nam properando timet.
Ne caput in muros, aut quid solidum incidat,
effert

Ante ora extensas providus ille manus.
Dein circumpositas auras palpare videtur,
Sic tutum a quovis obice quaerit iter.
Tunc socii socio nugis illudere gaudent;
Iste trahit vestes, percutit ille caput.
Ictus ulcisci percussus tentat et unum
Captare ex pueris; sed cito quisque fugit.
Dein redit, et nugas renovat, nec tundere
cessat
Ictibus expositum; captus at ecce puer.
Scilicet accedens iterum atque iterum, undi-
que pulsans
Ludentem, illius denique praeda fuit.
Detegit ergo oculos, et capti lumina claudit
Victor, et alterius tunc agit alter opus.
Denuo tunc ludi leges servant eaedem,
Causa quiescendi donec et hora datur.

Proficua hic nobis ludus documenta mini-
[strat:

Scilicet a nugis discere saepe iuvat.
Illecebras inter ludens fit caeca voluntas,
Circumstant sensus, fit quibus illa, ioco.
Nescia quo sese vertat, titubare videtur;
Inde timens lapsum, labitur, imo ruit.

* *

Iocosa.

Tuccius patri:

— Oh! magister noster morosus quidem est. Ne hariolari quidem poteris quid a singulis discipulis nobis hodie petierit..

— Ecquid?

— Ut quisque ei sit traditurus nativitatis suae documentum. An non ipse videt nos omnes natos esse?

—

Tuccius magnifice sese ostentans, Paschatis die.

— Hodie pro antecoenio ova centum et ultra comed!

— Bombax!

— Ad amussim: ova ... sepiacea.

* *

Aenigmata.

I

Aspera proelia, silvas laetaque munera terrae
Iam cecini vates; clarum sum nomen adeptus.
Syllaba sed prior ultima, verso ordine sistat,
En urbs qua licuit dulcem mihi ducere vitam.

II

Ore avido alterius rodi solet alterum; at ipse
Rosor in integri guttura saepe cadit.
Aenigmata in superiore fasciculo pro-
posita his respondent: 1] *Terminus*; 2]
Cuniculus.

LIBRORUM RECENSIO

IOANNIS FRATINI, Cathedr. Basilicae Lau-
retanae Archidiaconi, *Epigrammata*. — Recineti
a. MCMXIX, in-8, pag. 24.

Libellus hic complectitur XXII epigram-
mata, quae auctor decursu novissimi belli, vel
albescente tandem pace conscripsit. Versus
distichi, quibus auctor pro more utitur, faciles
ac nitidi fluunt, et lectorem produnt, qui saepe
Ovidium pervolvit. Argumenta plerumque de
rebus atque de personis sacris agunt; ali-
quando etiam bellicas res tangunt, ducesque
militum. Epigrammatis adiungitur carmen
heroicis versibus ab auctore, quem iunior
esset, compositum de beata morte divi Aloisii
Gonzaga; cui quidem carmini inesse mihi vi-
detur gratia maior altiorque inspiratio poëtica.

In epigrammate XXI, auctor sensu passivo
usus est participio « solatus », quod apud pro-
batos scriptores nusquam reperitur.

FRANC. X. REUSS.

**LIBRI RECENS DONO ACCEPTI**

ALBERTO GIANOLA. *La fortuna di Pitagora
presso i Romani dalle origini fino al tempo
di Augusto*. — Catanae edid. Franciscus Bat-
trato, 1921 — (Ven. lib. 7,50).

I. M. MEUNIER, *Histoire étymologique du
nom du Chateau de Montpoupon*. — Corbigny
apud librarium officinam cui titulus *Institu-
tion du Sacré-Cœur*, 1921. — (Ven. fr. 4).

Epitome del Compendio de Teología moral
por el P. JUAN B. FERRERES, S. I. — Primera
edicion en Castellano. — Barcinone edid.
Eugenius Subirana (Calle de la Puertafer-
risa, 14). — 1921.

Verbum Domini. Commentarii de Re Bi-
blica omnibus Sacerdotibus accommodati et
a Pontificio Instituto Biblico singulis men-
sibus editi. — Romae ed. Pontificium Institu-
tum Biblicum (Piazza della Pilotta, 35) — 1921,
fol. I, fasc. I-IV.

LEO IV**ACTIO DRAMATICA I. B. FRANCESIA.**

- I. Cives et dormiunt,
Et ipsi dormiunt profunde milites ...
III. Foret si fas adgredi Romam nunc
[subdole!
I. Sumus pauci!
II. Magna attamen audentia.
Illi sunt numerus, nos sed astutia,
Vocant quos illi Barbaros ludibrio.
CONST. Scient quid ipsi valeamus proxime.
Velut leo noster stat in sylvis vigi-
[lans,
Et nos abdamus tacite per compita...
Leo curamus dormiat hic Maximus.
Si Roma abesset, suo si vel munere
Fungeretur, suis Roma vel vitiis,
Queis est obruta, laberetur admoni-
[dum...
Sed hic, quem dii depriment ocissume,
Sibi nec parcit, nec parcit et civibus;
Eos exemplo dicit rectius, rapit.
Diu noctuque miles sicut vigilat,
Monet, precatur, impellit et ministrat,
Eosque durat, opprimit laboribus,
Et Urbs defensa stat, resistit Barbaris.
I. Ergon?
CONST. Nunc unum nobis est perfu-
[gium.
OMNES. Quod? Dic.
CONST. Ut hic piscator vadat ad
[retia.
Cur se negotiis implicat saeculis?
Deus non ipsi sufficit? Cur inhiat
Quae gloriam viros torquet cupidius?
Hoc omnes murmurant, Romani insi-
[mulant,
Nemo hunc audet monere. Nam rem
[publicam
Hic omnem sustinet, dominatur unice
Et omne suffert, dat munus omnibus ...
- Hic consul, hic imperator, atque expulit
Suo de latere quotquot sunt consili ...
Sic unus exstigit, regit pro arbitrio.
Id omnes improbant cives, et quaeri-
[tant,
Exspectant tempus possent opportunius
Eum de Petri deturbare solio,
Et nostrae mittere desertis Africae,
Illic ut praedicet turbis sylvestribus.
Forent si fortes ut Romani veteres!
Oh! si veniret! nos facturos maximum
Ei pollicemur latum tripudium !
I. Tuum libenter sequimur consilium,
Et multi venient ex Africa proxima,
Quorum nos militum sumus signiferi.
Ut adsolent brevi littoris sabulae,
Ruunt ad Urbem populandam plurimi.
CONST. Eamus! Saeculum certe surgit novum,
Mihi mens praesagit cuncta prospera.
Sed alter advenit miles ... Silentium!
Iuvat sic posse Romae quae sit novitas
Et introire Romanos ...
I. Et tutius!
- SCENA III.
PUBLIUS et RELQUI.
- PUBLIUS (*Adstant ei a longe milites; cautius
sed firmus ingreditur, haec secum lo-
quens*):
Me nunc sensisse videor per tenebras
Secreto secum colloquentes homines ...
Nolim ... Iuvabit perlustrare compita.
Huc illuc subdoli vagantur hospites,
Veri latrones noctu qui te stimulant
Et sensim repunt sine sensu perfidi.

¹ Ironice.

Quot sint in Urbe tecti quisnam novem?
 [rit?]
 Velut sunt culices, feriunt et disparent.¹
 CONST. (*ad suos*). Hic nos quam recte nos
 [citat, quam graphicē!]
 PUBL. In praesens istis Roma sed latronibus
 Abundat nimis, repletur admodum,
 Eam qui mordent, molestant et lace-
 [rant,
 Vexantes cernis muscas ut cadavera;
 Quot adsertores Urbis nunc se pae-
 [dicant!]
 Adsunt et Graeci qui salvare insimu-
 [lant,
 Adsunt Germani rapti Urbis dulcedine,
 Adsunt et tristes omnium saevissimi
 Afri, recentes multis accessionibus,
 Diu noctuque gladii et lanceis
 Terra marique, rapidiores fulmine
 Gradiuntur, vexant et Urbem dilapi-
 [dant,
 Hinc dilabuntur graves pecuniis.
 CONST. (*ad suos*). Olim quas Roma primum
 [nobis abstulit.
 PUBL. In Urbe restant multi sed absconditi,
 Per artem cunctis et addicti officiis;
 Vultu Romam fingunt amare perdite,
 Eamque dicunt alteram nunc patriam,
 Suorum lugent, increpat duritiem...
 Manent in corde sed fallaces Arabes!
 Student hi, sudant callidis astutiis,
 Suis qui possint inservire fratribus,
 Eisque commodum praestare auxilium.
 CONST. (*item*). Solent ut fratres fratribus suc-
 [currere.
 PUBL. Hos pertimesco egredientes protinus,
 Hos in exilium pellere nunc pervelim
 Suis e latebris, ut e sylvis belluae
 Et Urbem, cives devexare, perdere.²
 CONST. Vocat nos bellugas! O monstrum ho-
 [minis!
 Mox compungemus rostris vos et un-
 [guibus!

PUBL. Iuvabit primum visitare latebras,
 Et eos qui forsitan latrones latitant.¹
 CONST. Ad rem nunc venit. Tempus est insi-
 [diis,
 Tandem nos egredi, novis sycophantiis
 Nostramque ornare provinciam bellule,
 Et omnes miseros Romanos reddere.
 I. Quid si nos deprehenderet?
 CONST. (*altiore voce*) Heu! vos amiculi!
 I. Referret urbi, nobis quae molestiam
 Darent gravissimam...
 II. Placet quod minime!
 III. Quid si in custodiam vellent nos tra-
 [dere?
 CONST. Fuit misello quod Jugurtha antiqui-
 [tus?
 Et illic damnum Romae parabimus!
 I. Eamus cautius!
 ALII. Loquamur Africe.

SCENA IV.

Milites ingrediuntur; CONSTANS cum suis;
 PUBLIUS.

CONST.² Eheu! vos, amici, agamus gratias
 [plurimas
 Diis, qui prosperum dederunt iter,
 Et nos in Urbem deduxere incolumes,
 Diu conquisitam ventis et precibus...
 Hic tandem laeti quiescemos optime.

MILES. Est illa Roma civitas pulcherrima,
 Et omnis orbis pollens quae divitiis?

CONST. Illa est!

PUBL.³ Sed isti qui sunt? Cives an
 [advenae?

¹ Curiose in inquisitione pergit.

² Militibus ingredientibus, elata voce.

³ Intra se loquitur.

(Ad proximum numerum).

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Sponsor.

ROMAE. — TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

¹ Observat.

² Inquirens.